

Vult dicere Auerroes, quod mechanici decipiantur, qui putant parallelogrammum a dimidia perimetro, & semidiametro comprehensum, æquale esse areae circulari: non enim sequitur, si circulo possit dari maius & minus parallelogrammum, quod oporteat etiam æquale dari: adhuc si maxime concederetur, posse dari circulo æquale parallelogrammum, nondum tamen probatum esset, id tale esse, quod fiat ex ductu dimidię perimetri in semidiametrum: quod si autem certo demonstrari nequeat, hoc parallelogrammum esse circulo æquale, neque etiam quadratum huic parallelogrammo æquale factum, dici potest æquale circulo. Qui igitur circulum quadrare cupiunt, sic ratiocinantur, si datur parallelogrammum altera parte longius, quod sit æquale circulo, datur etiam quadratum æquale circulo: at datur parallelogrammum altera parte longius, quod sit æquale circulo, Ergo datur etiam quadratum circulo æquale. Hypothesis est certissima, quia omni figurę rectilineę, siue sit triangulum, siue parallelogrammum altera parte longius, potest cõstitui æquale quadratum, per propositionem vltimam, libri secundi elementorum Euclidis. At minor propositio opus habet inductione, hoc est, assumptione particulari: qui autem eam probare conantur, non inducunt, sed abducunt, ponentes scilicet id fere æquale esse, quod omnino æquale esse debuit: vt eleganter ostendit Aristoteles in cap. 25. libri secundi Priorum. Etsi autem nec ipse  
 Archi-